



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput III. De Mutuo, & Usura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## CAPUT III.

## De Mutuo, &amp; Usura.

## §. I. Quid Mutuum, &amp; Usura?

**M**utuum (quasi ex meo tuum) est, *Contractus*, quo traditur quoad dominium, & usum res consumptibilis constans numero, pondere, aut mensurâ cum obligatione restituendi postmodum similem in specie, & qualitate.

Dicitur *res consumptibilis*, ut vinum, oleum, frumentum, sicut & pecunia, quæ dicitur consumi respectu utentis non quidem physicè, sed moraliter.

Dicitur 2. *Constans numero, pondere, aut mensurâ*; quia non omnis res consumptibilis est materia mutui, sed tantùm illa, quæ secundum communem usum & consuetudinem datur vel ad pondus, ut carnes &c. vel ad mensuram, ut triticum, vel ad numerum, ut pecunia: undè quia equus, arbor, & similia, non solent ordinariè tradi ad pondus, numerum aut mensuram, non reputantur materia hujus contractûs, sed pertinent potiùs ad permutationem.

Dicitur 3. *similem in specie*, & non in individuo; quia licèt possit mutuatarius eandem rem numero restituere, si non sit consumpta, ad id tamen non tenetur vi mutui, quod per hoc differt à commodato, precario & locato, quæ necessariò restituenda sunt eadem numero.

Dicitur denique, *& qualitate*, quia non satis-

fa-

facit, qui reddit vinum novum pro veteri, album pro rubro &c. nisi consenserit mutuans.

*Usura communiter definitur: Contractus, quo ex vi mutui exigitur aliquid ultra sortem tamquam debitum.*

Dicitur, *ultra sortem tamquam debitum*: id est, ultra capitale, ultra id, quod dedisti. Dedisti 100. & recipis 105. 100. sunt sors, seu capitale, & 5. usura, seu fœtus. *Aliquid*: quodcumquè illud sit, sive temporale, sive Spirituale, sive pretio æstimabile, sive non, modò sit onus mutuatario. *Si fœneraberis homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliud plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es.* Aug. conc. 3. in Ps. 36. v. 26. hinc Conc. Agathense decreto 2. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur.* Usura dividitur in formalem, seu apertam, & virtualem, seu palliatam. Formalis est, quæ fit cum pacto expresso; virtualis, quando tacitè, vel interpretativè accipimus, vel exigimus lucrum ratione mutui, quamvis de eo non fiat expressa pãctio.

Usura alia est *realis*, quando accipitur lucrum usurariũ cum pacto expresso, vel tacito; alia *mental*, quando mutuamus animo accipiendi lucrũ vi mutui, nullo modo, ne quidem implicitè in pactum deducendo, vel manifestando. Si non sequatur lucrum, dicitur *Usura purè mentalis*, si sequatur tamen absque pacto, *usura mentalis mixta.*

P. 1. An sit usura aliquid exigere tamquam debitum ex gratitudine.

R. Aff. Contrarium proscriptum est ab Innoc XI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, aut gratitudine debitum.*

2. Quo jure prohibetur usura?

R. 1. Jure humano tam civili, quàm Canonico, constat ex pœnis, quæ in usurarios publicos statuuntur, excommunicantur Laici, suspenduntur Clerici. Hinc Conc. Lateranense sub Alex. III. *Usuras utriusque Testamenti pagina detestatur.* 3. Insuper jure naturali interdicta est usura, quia aliquid exigere absque justo titulo, juri naturæ adversatur.

#### C A S U S II.

*Quid judicandum de illo, qui vicino suo dat mutuo 100. florenos, eâ lege, ut toto anni decursu nullibi, præterquàm in officina sua emat, idque pretio justo, nec majori, quàm alibi?*

R. Judico cum ab usuræ sordibus non esse immunem, non quia panem unius assis, V. G. alle vendidit, quod justum est, sed quia alterum ad emendum apud se vi mutui obligavit, quod usurarium est. Idipsum resolvendum de mutuante, ut alter desinat à lite justa, & cedat certo juri, ne ædificium altiùs attollat, ut fenestram aliquam obturet, ut beneficium Ecclesiasticum conferam ut remutuet, pro mutuante fide jubeat, & verbo, quotiescumque aliquid onus, cui mutuator non subjacet, mutuatarie imponitur, usura comittitur.

CA.

## CASUS III.

*Quomodo procedet animarum director cum mercatore, qui multo tempore merces suas credito pluris vendidit, quam paratâ pecuniâ?*

R. Si non vendiderit suprâ pretium rigorosum, sed intrâ terminos pretii justî & rigorosi manserit, sic tamen, ut ulnam panni V. G. dilatâ solutione, vendiderit solidis 20. quam libenter venderet 19. vel fortè minoris, præsentibus pecuniis, declarabit eum non teneri ad aliquam restitutionem. Si tamen, secluso damno emergente, lucro cessante, similibusque extrinsecus, ob dilatam solutionem carius vendiderit, quam paratâ pecuniâ, ita scilicet, ut ultrâ pretii summâ limites processerit, Confessarius declarabit eum eò usquè peccâsse contra justitiam, atque ad restitutionem obligari.

## CASUS IV.

*Thesaurarius cujusdam Principis &c. pecunias domini sui, ipso inscio, clam negotiationi impendit, undè & ditissimus evasit, sinè ullo tamen rerum domesticarum Principis detrimento. Morti proximus vult testamentum condere, consulitque Confessarium, quid agendum de opibus ex aliena pecunia acquisitis: an debeat eas legare Principi, &c. An possit salvâ conscientîâ dare consanguineis?*

R. Cùm pecunia de se sit sterilis, potest The-  
saurarius ille de istis divitiis pro libitu disponere, perindè ac de aliis suis bonis; unde potest legare amicis, neque in ullo Principi est obnoxius, licèt fortè deliquerit, pecuniis ejusmodi, sine domini consensu, hoc pacto utendo. P 2 CA.

*Quid agere debet Confessarius cum usurario?*

R. Petendum 1. An esset usurarius publicus, an verò occultus, quia ut patebit, diversimodè sunt tractandi. 2. Quoties commiserit peccatum mortale usuræ? 3. Obligandus efficaciter ad restitutionem omnium, quæ injustè per usuras extorsit, quàm primùm faciendam, & conferendo in pios usus, si incerta sint, & quorum domini ignorantur; certa verò restituendo iis, à quibus sunt usurariè accepta. Sin autem bona ipsius non sufficiant ad omnia restituenda, certa præferenda incertis, & illi, qui diutiùs re suâ caruit, majorem partem restituendam judico, quia quò dominus diutiùs re suâ caruit, eò majus damnum & interesse passus est. Quòd si nihil restituere possit, nihil habens, non est ideo neganda illi absolutio, dummodo firmiter proponat restituere, cum primùm potuerit, veniens ad pinguiorem fortunam. Potest tamen sibi tantum retinere, quantum sufficit, nè incidat in extremam, vel gravem necessitatem, quia cum tanto sui incommodo non tenetur restituere, & dominus tunc exigens restitutionem irrationabiliter procederet. Nihil tamen ex illis retinere potest ad conservandum statum, in quo erat; qui enim est in ære alieno per usuras, furta, aut alias injustas acceptiones, tenetur restituere, etiamsi à statu excidere, & novæ vitæ degendæ rationem incurrere videretur, sicut & ille, qui quidem per injustam acceptionem debita contraxit, sed tamen in pauperem

riem incidit, eò quòd possessa in luxum expenderit.

De usurario manifesto in cap. *Quamquam. de usuris* statuitur, ut nec ad sepulturam Ecclesiasticam, nec ad Confessionem cum absolutione admittatur, antequàm usuras, ut potest, restituerit, aut cautionem idoneam dederit de restituendo iis, à quibus illas extorsit, si præsentes sint, aut alioquin illis, qui possunt iisdem acquirere: vel si tales desint, loci Ordinario, vel ipsius vices gerenti, vel rectori Parochiæ, in qua idem usurarius habitat, idque coram fide dignis testibus de ipsa Parochia, aut coram aliquo Notario publico ex Ordinarii mandato &c. ita ut exprimat veram debiti formam, si sit manifesta; sin minus, aliam, moderandam arbitrio recipientis cautionem. Cæterùm, si usurarius ex inopia nec restituere, nec cautionem, id est, pignora, aut fidei-jurionem dare possit, sufficit, si juret, se dare non posse, seque satisfacturum, si unquam venerit ad pinguiorem fortunam.

## CASUS VI.

*Quid agendum Confessario cum usurario manifesto, constituto in probabili mortis articulo, in quo ipse nec satisfacere potest, nec idoneam cautionem dare?*

R. Si res ità se habeat, audire debet volentem confiteri, & apparentem verè contritum absolvere: obrentà ab ipso intereà facultate declarandi Episcopo promissionem ab eo factam, ut ille ipsum, si convaluerit, aut hæredes ipsius,

si moriatur, compellat ad restitutionem promissam. Ita Navarrus in Enchir. c. 17. n. 279.

Porro manifestum usurarium, Navarrus ibidem ait, censendum eum, qui palam & notorie mutuo dat ad usuram, aut res suas ob solam pretii dilationem vendit manifestè supra rigorosum pretium. Neque necessè est cum quibusvis mutuo petentibus, aut ementibus tale quid faciat, sed sufficit, quòd manifestum sit tale quid ab ipso factum esse, aut per sententiam iudicis, aut aliàs notorium esse, prout citato idem loco Navarrus ait.

*§. 2. Assignantur tituli tres, ob quos aliquid occasione mutui licitè exigitur, & accipitur.*

**P**rimus est, periculum extraordinarium, non omni mutuo intrinsecum, totam sortem amittendi, vel peculiaris difficultas in recuperanda sorte: quia periculum istud videtur pretio æstimabile, ut patet in assecuratione, & fidejussione. Tunc non exigitur auctuarium præcisè ratione mutui, sed ex alio titulo.

**P. 1.** Quænam sunt conditiones, ut ratione periculi extrinseci aliquid possit exigi ultra sortem?  
**¶.** Hæ quinque: 1. Ut absit intentio lucrandi ex mutuo. 2. Debet periculum esse verum, morale & nullatenùs fictum. 3. Debet mutuarium fidejussorem, aut pignus non dedisse, vel non obtulisse. 4. Debet haberi ratio periculi, ita ut plus, aut minus requiratur, prout majus, aut



aut minus fuerit periculum. 5. Non debet mutuans ratione periculi plus exigere, quàm pro tali periculo vellet alteri dare.

Secundus est, lucrum cessans.

2. Quæ sunt conditiones, ut ratione lucri cessantis aliquid licitè exigatur, & recipiatur?
3. Sequentes: 1. Lucrum illud debet verò similiter esse obventurum, & prudenter expectatum. 2. Debet pecunia esse lucro proximè destinata, V. G. negotiationi, censui annuo emendo, domui, villæ, agro &c. sibi primâ occasione comparandis. 3. Ut mutuans non habeat aliam pecuniam mutuò dandam, præter eam, quæ lucro destinata est: excipe tamen, nisi aliam pecuniam justa de causa reservaret, v. g. ut prolem jam nuptiis maturam honesto matrimonio collocaret. 4. In ratione lucri sperati deducendæ sunt expensæ, pericula &c. cùm minoris valeat lucrum speratum, quàm de facto acquisitum. 5. Debet mutuatarius spontaneè consentire in compensationem lucri cessantis, & quidem ab initio: unde si in mutuatione nulla facta sit mentio lucri cessantis, nihil pro eo potest exigi, quia censetur mutuans illud condonâsse. 6. Non debet recipi auctarium antè sortem, aliàs non mutuares 100. V. G. sed 90. si ab initio reciperes 10. ratione lucri cessantis, & sic non servares æqualitatem, cùm minus lucrum speres ex 90. quàm ex 100. Denique, quod seriò mutuantibus est inculcandum, fieri debet mu-

tuatio ex animo caritatis, non ex animo avaritiæ, & sic debet esse dispositus mutuans, ut mallet pecuniam suam commercio, emptioni &c. quàm mutuò tradere, nisi mutuatario vellet benefacere, & ideo S. Thom. opusc. 7. de Usuris cap. 6. *In mutuis vitium usura annexum est ex eo, quòd fiant spe lucri.*

Tertius est, damnum mutuatori emergens Ratio est, quia si, ut alteri mutuarem, deberem expensas facere, deberet mutuatarius illas ferre, ergò & damnum, quod patior ratione mutui.

## C A S U S VII.

*Petrus mutuò dat Antonio florenos mille sub hac conditione, ut restituat post elapsum decem mensum decursum, & mentio nulla de compensatione damni facta est, atque interim decem mensibus nondum evolutis Petrus damnum patitur, an Antonius illud resarcire teneatur?*

R. Antonium ad hoc cogi non posse, sed ac summum rogari, ut ex decoro, & congruo iudicio præster, quia Petrus mutuator censetur juri successisse, quando de compensatione damni mentionem non fecit, præsertim cùm inter sit mutuatarii, ut ab initio moneatur de auctario, ratione damni obventuri, persolvendo; quia alià forsà viâ sinè tali gravamine sibi consulere valeret, mutuum postulando ab alio, qui illud sinè suo damno præstare potest.

## C A S U S VIII.

*Antonius mutuat Petro cum obligatione red-*  
en-

*reddendi sortem intra annum, imponitque onus reddendi s. aut 6. supra capitale, si ulterius differat solutionem; quaritur, an possit Antonius tutâ conscientiam pœnam illam conventionalem exigere, si Petrus fiat redditor morosus?*

R. Contrâ nonnullos aff. dum adsunt certæ conditiones. Ratio est, quia jus tam naturale, quàm civile permittit, ut possint homines privati sese invicem pœnis conventionalibus obligare, ut ita, tum à contractu adimplendo, tum à solutione facienda tollatur omnis pigritia, & morositas culpabilis. *L. Si pacto 14. Cod. de pactis.*

Certæ autem conditiones hæ sunt: 1. Est, ut pœna sit omninò libera, & acceptata ex parte mutuataris; quia possunt quidem Superiores imponere pœnam subdito invito, non autem privati, nisi consentienti, & volenti. 2. Ut pœna non apponatur in fraudem usurarum, quod censetur fieri, quando quis videns non posse ob mutuum lucrum exigere, utitur pœnæ prætextu ad palliandum lucrum. 3. Ut pœna sit moderata, quia excessivam reprobatur caput significante. *7. de pignoribus.* 4. Ut mora sit culpabilis, & notabilis. *Notabilis*, quia cum dilatio unius, alteriusvè diei sit modica, & quasi nulla reputetur, non esset culpæ pœna proportionata. *Culpabilis*, quia nisi ob culpam, non imponitur pœna; & ideo si quis factus sit ad solvendum impotens sine sua culpa, *V. G. ex naufragio, incendio, &c.* non debet pœnam solvere. 5. Ut, qui deficit tantùm in media parte solutionis, tantùm subeat medietatē pœnæ.

§. 3. *An montes Pietatis, & Lombardi  
sint usurarij?*

**M**ons Pietatis nihil aliud est, saltem in his locis, quàm cumulus pecuniarum, ad subventionem indigentium mediante mutuo destinatus. Alius est ex puris eleemosynis, alius ex pecuniis ad censum levatis, alius mixtus. Mons 1. generis cœpit Perusii in Italia an. 1450. sub his conditionibus, ut soli istius loci pauperes mutuum indè reciperent, & quidem in summa determinata, & ad determinatum tempus, dato priùs pignore, modicoque pretio pro ministrorum sustentatione assignato.

Montes Pietatis secundi generis erecti sunt in Belgio anno 1619. tempore Alberti Austriaci, & Isabellæ sub iisdem fermè conditionibus, quibus suprâ, nisi quòd posset quilibet indigens, sive dives, sive pauper, indè mutuum recipere, modò tamen non solùm pro Ministris, sed etiam pro censuum solutione, domûsque erectione, & reparatione aliquid tribueretur.

Montibus Pietatis ob civium penuriam non sufficientibus, adjecti sunt Principum auctoritate mutuatores publici, vulgò Lombardi, eò quòd modus ille mutuandi à Lombardis initium habuerit: hi autem vix differunt à montibus Pietatis secundi generis, nisi quòd aliquid ultra assignetur mutuatoribus ratione lucri cessantis. His positis

¶. 1. Montes Pietatis primi & secundi generis  
non

non sunt usurarii, quia modicum, quod in illis recipitur ultrà sortem, non datur vi mutui, sed pro ministrorum sustentatione, qui non tenentur gratis laborare; unde montes illos sub Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. & Alex. VI. erectos, confirmavit Leo X. in Conc. Lateran. tanquam pietatis & misericordiæ exercitia, propositis indulgentiis fidelibus, qui ad eorum erectionem suis eleemosynis concurrerent &c.

Quod ad secundos attinet, neque in illis aliquid exigitur ultrà sortem ratione mutui, sed ex justo titulo, nempe ad montium conservationem, administrationem, exonerationem. Præterea licitum est, & ab usura immune, in montibus primi generis aliquid exigere pro ministrorum labore, & sustentatione; quidni, & quando exigitur in montibus secundi generis aliquid pro censuum solutione? Accedit, quòd hi montes fuerint erecti ex consensu & consilio Archi-Episcoporum, Episcoporum, multorumque Belgii Theologorum, qui omnes, re attentè examinatâ, & in statera Domini libratâ, indicârunt non esse usurarios.

¶ 2. Etiam ab usura videntur immunes Lombardi, modò servant ad amissim Principum, aut Magistratum edicta, non excedant pretium taxatum, nec plus recipiant, quàm sit detrimentum, quod patiuntur ratione lucri verè & realiter cessantis.